

1534 classi Senatus decrevit. Duodecim in Creta instructæ fue-
re : Venetiis vero fabri, ac ceteri opifices veteres reficere, no-
vas compingere, cuncta, quæ in usus rei navalis essent, parare
sunt iussi; ut si ita res poscerent, instructior, ac validior classis
redderetur. Atque ut hæc quamprimum perficerentur, multo stu-
dio undique pecuniæ conquirebantur, civibus supra debilitatas
affiduis impensis privatas fortunas in Rempublicam animi ardo-
re sese efferentibus. Ecclesiastici quoque viri ad eandem suble-
vandam suas opes congefere; cum Pontifex Senatui petenti con-
cessisset, ut qui terrestri imperio Venetorum continerentur, cen-
tum aureorum millia; qui in maritimis essent, sexdecim millia
ad subsidium bellicorum apparatusum persolverent. Mari vero
proxima loca præfidiariis militibus augebantur, annona undique
convehebatur, atque intentiori cura quæ ad tuendas Venetas
oras spectarent, agebantur: cum reliqui quoque Principes ad
Turcicæ classis famam sedulo, ac præter morem maritimis com-
parandis viribus insisterent. Cæsar admodum veritus, ne Sulei-
manus, acerrimus hostis, universum belli impetum in suos fi-
nes converteret, undique triremes, ac navigia cogeabat, ut Cha-
riadenum multis sibi causis infensum repelleret. Galliarum quo-
que Rex summo studio curabat, ut Massiliæ viginti quatuor trire-
mibus sex adjungerentur. Clemens, ut Tyrrheni maris litora a
piratis custodiret, decem triremes instrui jusserat.

*Clemens Ve-
netis subsi-
dium Eccle-
siasticæ con-
cedit.*

*Clemens, Cæ-
sar, & Gal-
liæ Rex ma-
ritimas vi-
res instruit.*

Dum hæc gererentur, Hispani, qui Corone in præsidio erant,
multarum rerum inopia premi cœpere, Turcis arcta adeo ob-
sidione urbem circumfidentibus, ut nullus inde egressus pro-
pugnatoribus tutus relinqueretur, atque ii, qui ad annonam
colligendam nonnunquam prodibant, insidiosis incurfibus in-
terciperentur. Itaque milites cum otio tempus teri, absumi
sensim cuncta famis subsidia, paulatim restingui animorum im-
petum, corpora gravioribus grassantibus morbis, contabescere
animadverterent, aliquo potius egregio facinore, certis
quoque periculis vitam objectare, quam turpiter fame, ac
morbo enecari malebant. Igitur a præfecto flagitant, ut fa-
cultas sibi ex oppido erumpendi, atque hostes aggrediendi
detur: id cum ab eo, qui militari prudentia funestum rei
exitum mente præfagiebat, agre impetratum esset, impressione
facta, cum viribus hostibus impares essent, nullum, præter ina-
nis,